



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Manuale Exercitiorvm Spiritvalivm**

**Capilla, Andrés de**

**Coloniae, 1607**

Quando arguimur aut reprehendimur. Exercit. 15

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53232)



*Petitio.*

**P**Recabimur Dominum, vt manu sua sic nos regat, moderetur, atq; sustentet ne ex laudibus hominum in superbiam erigamur, néue à vera nostræ vilitatis & paruitatis cognitione, quacunque ratione separemur.

*Oblatio.*

**O**fferemus Domino laudes quas ei Angelici spiritus, in cœlesti illo beatorum omniû domicilio decântant.

*Quando arguimur aut reprehendimur.*

Exercitium. 15.

*Bar. 1. Domino Deo nostro iustitia nobis autem confusio faciei nostræ.*

*Psal. 118. Bonû mihi, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.*

*Psal. 140 Corripiet me iustus in misericordia, & in crepabit me, deum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

*Consideratio.*

**C**onsiderabimus Christum etsi neminem haberet integritate & innocentia ne parem quidem, nedum superiorem, nihilq; in eo inueniri pos



fit, quod non esset dignum sempiternis præconijs, nihilominus reprehensum & maledictis impetitum fuisse, insuper tanquam magnorum criminum reum in iudicium vocatum, accusatorum audiuisse acerba conuitia, & demum vt malefactorum mortis sententiam accepisse.

*Gratiarum actio.*

**G**Ratias referemus Domino, pro singulari illo beneficio quo nos ornat, dum nos ab alijs exagitari, maledictis vexari, salubriterque humiliari sustinet, quandoquidem nosmet ipsos humiliare dissimulamus.

*Confusio.*

**P**Vdore suffundemur, agnoscetes nos nil nisi vituperium & infamiam promeritos esse, & vt multum iniuriosè nobiscum agant homines, nos longè grauiora & deteriora mereri.

*Petitio.*

**P**ostulabimus à Domino, vt nos illustret agnitione nostrorum defectuum, qua illuminati omni post-

posi.



posita excusatione placidè hominum  
contumelias & probra sustineamus.  
Rogabimus etiam pro illis, qui no-  
bis contumeliam irrogare videntur.

*Oblatio.*

**O**fferemus nos Domino, ad om-  
nem ignominiam, atque contu-  
meliam, amore illius prompto & a-  
lacri animo perferendam; nostras  
hasce ignominias, illis quas Christus  
Redemptor noster, nostri causa in  
hoc mundo sustinuit, iungèdo atque  
vniendo.

*Quando factum aliquod boni  
exempli videmus.*

Exercit. 16.

*Roma. 8. Honor & pax omni operanti bo-  
num.*

*Rom. 12. Odientes malum, adherentes bono.*

*Galat. 6. Bonum autem facientes, non desi-  
ciamus, tempore enim suo metemus.*

*Psal. 118. Particeps ego sum omnium timeu-  
tium te & custodientium mandata tua.*

*Consideratio.*

**C**onsiderabimus Dominũ operari  
in nobis velle bonum & idẽ posse  
ope-